

distinguitur modus existendi per potentiam a modo existendi per essentiam, sed existit per potentiam mediante operatione talis potentiæ, ergo existere per essentiam est non existere mediante operatione. Et confirmatur, quia si per impossibile intelligeremus aliquod ens non productum a Deo adhuc ex vi immensitatis esset ibi præsens, ergo antecedenter ad operationem habet Deus dispositionem hujus præsentia. Antecedens patet, quia res illa non producta intelligeretur in aliquo loco, ergo esset intra sphaeram immensitatis, quæ respicit omnem locum, et consequenter esse præsens immensitati, ergo et immensitas illi.

XXVII. Respondetur quod ut dicimus articulo quarto quando D. Thomas isto articulo tertio dicit, Deum existere in rebus per essentiam, et potentiam, ly per potentiam non sumitur pro potentia, ut exequente ad extra, sed ut dirigente, et gubernante, sicut rex dicitur esse in toto regno per potentiam suam negativam, sicut ibi se explicat D. Thomas. At vero esse per essentiam est idem atque esse per suam substantiam, non ita quod ipsa substantia sit ratio formalis reddendi præsens, sed sit id quod redditur præsens ut quod, ratio vero præsentia ut quo est ipsa operatio potentiæ, ut physice tangens, et influens, non ut solum gubernans. Ad confirmationem respondetur quod dato illo impossibili Deus non esset præsens illi rei positive post contactum, sed negative, sicut substantia sublata quantitate diceretur præsens loco solum negative non per contactum positivum. Existere autem Deum in illa re positive tam impossibile est sine operatione, sicut rem ipsam existere independentem ab operatione Dei.

XXVIII. Si autem quærat quomodo Deus existat in rebus per ope-

rationem, non vero in se ipso, et in spatiis vacuis, nec videtur debere existere in rebus alio modo quam in se ipso, vel in spatiis, respondetur quod in se ipso non est per contactum, sed per identitatem, et existentiam, contactus enim non est ad se, sed ad alterum, et hic in Deo est per operationem, in se vero est per existentiam. In spatiis vero vacuis non est Deus actu, sed potestate, quia potest ibi creare res, et esse in illis, ut sequenti articulo dicemus.

#### ARTICULUS IV.

*Utrum Deus existat actu in spatiis imaginariis?*

I. Esse actu in spatiis potest sumi dupliciter, uno modo comparative ad terminum, cui coexistit, et præsens est: alio modo absolute in ordine tantum ad ipsam rem, quæ est præsens, seu assistens in spatio, non tamquam rei cui sit præsens, sed quia in se est existens, et designabilis in omni parte spatii. Primo modo communiter apud omnes constat Deum non esse in spatiis imaginariis, quasi illis coexistens, tamquam termino suæ præsentia, sicut est in locis positivis, quibus ita Deus assistit, quod realiter terminant ejus præsentiam, ut etiam advertunt Suarez, disput. xxx metaph. sect. vii, n. xxxvii, et Molina hic disput. iii. Difficultas ergo est de præsentia absolute considerata ex parte Dei, non quia relationem præsentia habeat ad spatia, vel spatium relatione præsentia respiciat Deum, sed quia Deus taliter sit præsens, quod in quacumque parte spatii sit designabilis ejus præsentia, ita ut aliquod ens poneretur in illo spatio, etiamsi non fieret a Deo adhuc Deus diceretur illi præsens ratione immensitatis suæ, et assistentia ad spatium.

II. Circa hoc est duplex opinio. Prima affirmativa, quod Deus actu

sit extra cælum præsentia actuali absoluta, et designabili in ordine ad spatium. Ita multi recentiores hujus temporis, Suarez, et Molina, locis citatis; Valentia hic q. viii, puncto ii; Zumel, art. ii, quæstione unica; Fonseca v metaph. cap. xv, q. ix, sect. iv; Conimbricenses, viii physic. cap. x, q. ii, art. ii; Arrubal hic disput. xi, cap. vi, citatur etiam pro hac sententia Ferrariensis viii physic. q. iv, et d. Cajetanus super illud Joannis xii: *Ego lux veni in mundum*, quia non venit in mundum, nisi quod est extra mundum. Licet autem omnes conveniant in hoc, quod Deus habeat absolutam præsentiam extra mundum, valde tamen dissentiant in explicanda ratione, et modo hujus præsentia. Nam Molina absolute existimat Deum esse in spatiis, ita quod si creatura producat ibidem, Deus, et creatura sint simul in eodem spatio. Zumel id explicat per solam negationem, scilicet Deum esse extra mundum, quia non continetur nec limitatur intra universum. Pater Gillius, lib. ii, tractat. ix de immensitate, cap. xviii, docet esse extra mundum per relationem præsentia extrinsecæ respectu cœli, et totius universi, quia exterior illi est, negat tamen in ipsis spatiis esse per præsentiam intimam, ita quod dicatur esse in illis. Denique, p. Suarez ubi supra explicat illam præsentiam per hoc quod Deus adest extra mundum absoluta existentia. Dicitur autem esse in spatiis, quia possumus concipere infinitam præsentiam, nisi designando eam in illa vacuitate infinita: non tamen quod sit in illa, sicut dicitur per æternitatem esse in infinito tempore imaginario, quia per conceptum infiniti temporis explicatur a nobis æternitas.

III. Secunda sententia est negativa, quod Deus actu non sit in spa-

tiis imaginariis, et hæc communis est inter antiquos. Tenet Scotus in i, dist. xxxix, quæstione unica in fine; Bonaventura ibidem, artic. ii, q. i, num. xxii; Capreolus, quæstione unica ad iv; Hispalensis ibidem quæstione unica, ar. iv ad quartum, et communiter moderni Thomistæ ad articulum ii hujus quæstionis, ibi m. Bagnez, Navarrete, Gonzalez, Granados, et alii. Colligitur etiam ex D. Thoma, nam iii contra gent. cap. lxxviii, §. ultimo, inquit: « Deus indivisibilis est, quasi omnino extra genus continui existens, unde non determinatur ad locum magnum, vel parvum ex necessitate suæ essentia, quasi oporteat eum esse in aliquo loco, cum ipse fuerit ab æterno ante omnem locum, sed immensitate suæ virtutis attingit omnia, quæ sunt in aliquo. » Ubi S. Thomas clare excludit id quod imaginantur opposita sententia auctores, quod Deus de necessitate secundum suam substantiam adest spatiis imaginariis, cum expresse dicat non determinari ad locum magnum, vel parvum ex necessitate suæ essentia. Nec dici potest, quod Deus non determinatur ad locum positivum, sed ad creaturam ex necessitate suæ essentia, bene tamen ad locum negativum. Nam contra est, quia si ex necessitate suæ essentia determinatur ad locum negativum, ergo posito loco positivo, id est, creatura aliqua assistente, vel replente illum negativum, de necessitate manebit Deus determinatus ad illum, et ad negativum. Unde solum habebit non determinari ex necessitate essentia ad producendum locum positivum; sed tamen ex vi præsentia ad loca negativa necessario determinabitur ad existendum in loco positivo, semel illo producto, vel etiamsi per impossibile intelligatur non produci a Deo.

IV. Similiter doctor sanctus, in i,

dist. xxxix, q. ii, art. i, docet : « Quod Deus implet locum, sicut corpus locatum, non quidem distantia dimensionum, sed causalitate effectuum. » Et articulo tertio, inquirens, an Deus ab æterno fuerit ubi correspondet negative: « Quia in nihilo nihil omnino est, neque locus, neque res ab æterno fuerunt, ergo neque Deo ab æterno convenit ubique, vel in rebus esse. » Et addit in corpore articuli : « Quod esse ubique importat relationem Dei ad creaturam fundatam super operationem Dei, et ideo non convenit ei ab æterno. » Constat autem quod esse in spatiis imaginariis in sententia opposita convenit Deo ab æterno, et per hoc explicat illa sententia Deum esse ubique D. Thomas autem docet esse ubique, per relationem fundatam in operatione Dei, atque adeo ante omnem creaturam non dicitur positive esse ubique. Denique, in hac quæstione, articulo quarto explicat D. Thomas Deum esse ubique : « Quia quotquot loca ponantur etiam infinita, Deus erit in quolibet eorum, » ergo supponit quod antequam sint loca non est in illis, spatia autem imaginaria loca non sunt, sed imaginantur esse.

V. Fundamentum hujus sententiæ a multis desumitur minus solide, et efficaciter ab eo, in quo oppositi auctores non dissentiunt, neque aliquid contra eam dicunt. In hoc enim fere laborant rationes aliorum, ut probent Deum non esse in spatiis imaginariis tamquam in aliqua re terminante præsentiam relativam, probant enim Deum non esse in spatiis imaginariis, quia Deus non dicitur esse in nihilo, neque in privatione, ut in cæcitate, in vacuo, in chimera, etc. Item quia esse actu in vacuo, ut in loco exigit relationem realem, quæ non consurgit ex Deo, sed ex altero extremo positivo extra Deum, quod non po-

test salvari respectu loci imaginarii. Et denique, quia remota omni re extra Deum, Deus solum est in se ipso, non ergo in loco vacuo. Hæc omnia, et alia similia efficaciter probant Deum non esse in spatiis imaginariis, tamquam in terminis suæ præsentiae terminantibus relationem ejus, et similiter non esse in spatiis imaginariis per contactum, et immutationem realem, non tamen destruunt illam præsentiam absolutam, quam oppositi auctores conantur inducere, ipsi enim fatentur aliter Deum esse in rebus, aliter in spatiis imaginariis. Unde Suarez supra citatus concedit Deum non esse in illo spatio, sed adesse illi sine habitudine actuali ad aliquid extra se, et consequenter non fundare relationem præsentiae, sed esse in locis imaginariis secundum quamdam præsentiam absolutam, quam ipse vocat adhærentiam, replendo illud spatium taliter quoad quæcumque distantia, seu pars spatii designetur, designabitur ibi substantia Dei, et ita Deum adesse illi spatio nihil aliud est, quam quod facta qualibet designatione spatii designetur ibi Deus, non tamen est præsens illi per habitudinem ad ipsum, tamquam ad terminum præsentiae, sicut corpus si poneretur extra cælum vere diceretur esse ibi, non tamen haberet relativam præsentiam ad illum spatium.

VI. Nos ergo dicimus Deum ante omnem creaturam, a se productam existere quidem in se, ad quod non requiritur præsentia, sed sufficit existentia qua in se existens est : respectu vero spatii imaginarii nullam habere præsentiam absolutam actualem, qua dicatur adesse illi spatiis per præsentiam, et designationem sui in illis, neque tamquam in termino suæ præsentiae, neque tamquam in medio a se repleto repletione virtuali, sed solum habere Deum

virtutem infinitam, et immensam respicientem infinita spatia mediate, quatenus potest in quacumque designatione spatii producere rem aliquam, et existendo in illa per contactum immutativum, mediate quoque Deus erit in spatio illo, non tamen Deus sic est dispositus, ut ex vimensitatis suæ coexisteret in illo spatio alicui rei, etiamsi per impossibile non procederet ab illo.

VII. Hæc conclusio quoad illam primam partem, quod Deus ante omnem creaturam solum existat in se, et non replendo spatia imaginaria, probavit primo auctoritate patrum, nam in primis Augustinus super Ps. cxxii, explicans illa verba : *Qui habitas in cælo*, sic dicit : « Antequam faceret Deus cælum et terram ubi habitabat, et antequam faceret sanctos ubi habitabat, in se habitabat Deus, Deus, apud se habitabat, et apud se est Deus. » Item lib. de natura boni, c. iii, tom. vi, aperte docet, Deum non existere in spatiis imaginariis supra mundum, sed solum potentia, et virtute sua : « Deus, inquit, supra omnem speciem, supra omnem ordinem, nec spatiis locorum supra est, sed ineffabili, et singulari potentia, a quo omnis modus, omnis species, omnis ordo. » Auctores autem oppositi, ita volunt Deum esse supra omnem creaturam, quod illis spatiis adest, et supra creaturam est spatiis locorum, quod Augustinus negat, et loquitur de spatiis imaginariis, quia supra creaturam non sunt spatia realia : solum autem concedit, quod ineffabili potentia est supra omnem creaturam, potentia autem Dei non dicit immediatam habitudinem ad spatia, sed ad res producibiles in spatiis. Item in vii confessionum, cap. i, falsam esse dicit hanc imaginationem, qua Deus cogitatur per infinita spatia : « Ita,

inquit, te vitam vitæ meæ grandem per infinita spatia undique cogitabam penetrare totam mundi molem, et extra eam quaquaversum per immensa sine termino, ut haberet te terra, haberet cælum, haberent omnia, et illa finirentur in te, tu vero nusquam. » Et subdit Augustinus : « Ita suspicabar, quia aliud cogitare non poteram, nam falsum erat. »

VIII. Similiter facit vim illa consequentia Bernardi, lib. v de consideratione, cap. vi : « Ubi, inquit, erat Deus, antequam mundus fieret ? » Et respondet : « Non est quod quæras ultra ubi erat, præter ipsum nihil erat, ergo in se ipso erat. » Quæ consequentia infirma est in opposita sententia, quæ ponit absolutam præsentiam, qua Deus adest spatiis, et non solum est in se ipso. Denique, Div. Thomas super cap. ii Joannis, lectione prima super illa verba : *Et Verbum erat apud Deum*, opponens objectionem hæreticorum, quod ante omnia nihil erat : « Hæc objectio, inquit Div. Thomas, procedit secundum imaginationem eorum, qui ponunt omne quod est esse alicubi, et in loco, quæ quidem excluditur a Joanne cum dicitur apud Deum, ut sit sensus secundum Basilium, ubi erat Verbum, respondet, apud Deum in aliquo loco, cum in circumscribibile sit, sed apud Patrem. »

IX. Ratio autem hujus partis ea est, quia non potest intelligi aliquid adesse, et substantiam suam præsentem facere spatio, nisi vel quia replet illud formaliter per suam extensionem, vel effective per suam virtutem aliquid efficiendo, quod in illo spatio sit. Primo modo non potest divina substantia, imo nec aliquis spiritus creatus spatiis imaginariis adesse, quia non habet partes, neque extensionem seu indistantiam, ratione cujus possit occupare, et reddere plenum illud spatium, quod erat vacuum, sicut facit cor-

pus quando in illo ponitur, et replet vacuum. Ergo non solum dicendum est, quod divina substantia non respicit spatia tamquam terminum suæ præsentiaæ relativæ, sed neque tamquam medium, seu intercapedinem a se replendam, et cui dicatur adesse, sicut plenum adest vacuo, quod replet, hanc enim proportionem, et correspondentiam pleni ad vacuum non habet spiritualis substantia. Remota autem hac proportione, et correspondentia repletiva vacui, non remanet præsentia illa absoluta, sed tantum remanet existentia rei in se ipsa, nam adesse ad spatium non potest intelligi sine aliqua extensione, vel distantia stare non potest, eo quod spatium imaginarium est distantia negativa replebilis a positiva, ergo sola ipsa potest illi adesse immediate per correspondentiam, et proportionem ad ipsam.

X. Si dicatur, substantiam divinam, et spiritualem non replere formaliter, id est, non constituere plenum spatium quoad antea erat vacuum, sed esse præsentem repletione effectiva, et virtuali, contra est, quia repletio effectiva, et virtualis potest respicere spatium illud, et distantiam vel objective tamquam terminum, et sphaeram in quam potest virtus sua aliquid producere per tantum, vel tantum spatium, vel potest respicere illud subjective tamquam in quo subjectatur, seu diffunditur sua virtus. Hoc secundum stare non potest, quia spatium illud non est capax recipiendi virtutem, cum sit nihil, nisi tantum mediate, quatenus in illo potest fieri aliquid, quod a virtute illa actu immutetur. Quare effectiva repletio non potest intelligi, nisi mediante aliquo effectu, seu mutatione facta a se, atque adeo non immediate correspondet spatio, quia spatium neque est factum, neque immutatum, sed mediante aliquo effectu in eo

producto. Objective autem potest respicere spatium tamquam terminum, seu sphaeram distantiaæ in quam potest operari, sed posse rem aliquam producere in tanto, vel tanto spatio, et sic potius respicitur a potentia effectiva, quam ab immensitate, seu a ratione existendi præsentialiter in loco.

XI. Verum quidem est in hoc esse differentiam inter spiritualement substantiam creatam, et spiritualement substantiam creatam, quod hæc non respicit in spatio imaginario aliquid quod immediate possit facere in illo, bene tamen Deus, eo quod Deus potest ex nihilo creare, et ita virtus ejus potest respectu spatii imaginarii respicere aliquid immediate ibi a se ponendum, cum quo habeat contactum tamquam cum effectu sine præsuppositione contactus ad aliquid tamquam ad passum. At vero substantia spiritualis creata non potest habere virtualement extensionem immediate respicientem spatium, ut replendum a se, neque effectum aliquem immediate faciendum a se in illo spatio, cum non possit ex nihilo creare, sed solum habet habitudinem ad habendum contactum virtualement ad aliquid positum in illo spatio, tamquam ad passum, ex quo producere poterit aliquem effectum, et mediante illo respiciet spatium in quo ponetur.

XII. Altera pars conclusionis supra positæ, quod Deus non habet immediate præsentiam ad spatia illa taliter, quod ex vi illius præsentiaæ possit intelligi præsens alicui rei ponibili in spatio, etiamsi per impossibile a Deo non fieret, probatur, quia talis præsentia non potest esse per contactum immutativum, et intime illabentem in ipsum spatium, vel in rem positam in spatio, ergo non potest intelligi illa præsentia ut divina. Consequentia patet, quia præsentia divina exigit conjunctio-

nem, et contactum summe perfectum, et ubique ponentem ipsum Deum, alias si non sit ubique non erit immensus. Ut autem sit ubique, nihil debet relinquere intactum a se, nam si aliquid intactum relinquit, in illo quod est intactum non erit, et sic ubique non est. Si autem tangit aliquid exterius, sed non intime penetrat, in aliquo tangit, et in aliquo relinquit intactum; scilicet in eum quod est intimum, et consequenter non est ubique quia aliquid relinquitur, ubi non est, scilicet ubi non tangit. Antecedens vero constat, nam respectu spatii non habet Deus contactum immutativum, et illapsivum, cum spatium nihil sit: respectu autem rei ponendæ in spatio, si non sit facta a Deo, non immutatur ab ipso per contactum, neque illi influit aliquod esse, ergo non potest esse intime in illa, et quantum ad omnia, semper debet aliquid præsupponere cui superaddat per contactum, seu cui coexistat non quod intime efficiat. Quare contactus summe perfectus, et intimus, qualis est contactus ubique attingens, non potest convenire per solam coexistentiam quasi extrinsecam, sed per intimum influxum in ipsum esse rei, et in omnia, quæ tale esse participant. Ponere autem alium modum præsentiaæ, seu contactus in Deo, est ponere contactum imperfectum, et non summe intimum, et ubique tangentem frustra, ergo intelligitur præsentia Dei immediata ad spatia, ut possit intelligi Deus præsens cuiuscumque rei, etiamsi per impossibile non procederet ab illo, ad talem enim rem non posset habere contactum summe perfectum.

XIII. Neque hoc est contra immensitatem Dei, quod non possit intelligi ex vi illius præsens alicui rei non procedenti a se, nam immensitas solum datur ad præsentiam, et

contactum Dei possibilem, et Deo congruentem, non impossibilem; contactus autem possibilis solum est ad creaturas procedentes a Deo, non ad rem aliquam; quæ per impossibile intelligeretur non procedens a Deo. Et similiter tunc ad talem rem solum posset intelligi habere contactum extrinsecum, et per modum coexistentiaæ, non autem per modum intimi, et perfecti contactus, qualis requiritur ad immensitatem, alias non erit ubique nisi ita intime illabatur, quod nihil intactum relinquat. Quare non oportet ad hoc solum ponere immediatam præsentiam Dei ad spatia imaginaria, ut possit esse præsens cuiuscumque rei positæ in spatio; etiamsi a se non procederet. Sed magis dicitur habere immensitatem, et habitudinem ad infinita spatia, et ad infinitas res producibiles in spatio, quia habet virtutem, quæ potest illas producere, et immutare atque contactu intimo, et illapsivo illis assistere, qui solus convenit immensitati seu ubiquitati.

XIV. Colligitur ergo, quod Deus existit omnino absolute in se ipso, ad quod non requirit præsentiam seu contactum, sed identitatem. Respectu vero eorum, quæ sunt extra se solum potest existere per præsentiam replentem res effective, et tangentem intime, unde si actu producit, et dat esse, actu replet, et tangit, si vero non producit actu, solum est in potentia et virtute attingens. Respectu vero spatii imaginarii non potest immediate comparari repletio illa, et contactus activus, sed mediante aliqua re, quam in spatio producat. Alium autem contactum, seu præsentiam Deus non habet, qui non sit activus, seu replens active id in quo est. Et sic ad nihil deservit præsentia absoluta, si per illam Deus non potest esse præsens alicui, et tangens illud con-

tactu, et præsentia intima, et summe perfecta, qualis est divina. Quare sicut anima potest esse præsens corpori, nisi informando illud, et dando illi esse per modum formæ, ad id vero quod non est informabile a se nullo modo potest comparari ut præsens tamquam anima, et per modum animantis, sic neque Deus potest intelligi præsens, nisi ut summum, et primum agens, et consequenter non nisi respectu alicujus operabilis a se.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XV. Primo, arguitur ab auctoritate aliquorum sanctorum, qui dicunt Deum ratione immensitatis, ita esse in mundo, quod non continetur in mundo, sed extra illum, et supra illum, quod stare non potest, nisi sit in spatiis imaginariis, quia extra modum, et supra illum non sunt, nisi spatia imaginaria. Sic autem loquitur Div. Hieronymus super cap. LVI Isaiaë, S. Hilarius I de Trinitate non longe a principio, sic explicantes illud Isaiaë XL: *Qui tenes cælum palmo, et tertiam pugillo*, intelligunt enim Deum intrinsecus, et extrinsecus circumfusum, et ambientem totum universum. Et similia videri possunt apud Damascenum, lib. III fidei, c. VI; Isidorum, lib. I de summo bono, cap. II; Gregorium, lib. II moralium, cap. I, circa illa verba Job: *Egressus est Satan a facie Domini*. Et similia habet Petrus Damianus, epistola IV, c. VI. Confirmatur ex Augustino XI de civit. c. V, ubi disputans contra illos qui inquirunt, quare mundus factus est in tali tempore, et non antea, dicit, id similiter inquiri posse de spatio, cur videlicet in hoc spatio factus est mundus potius quam in alio, cum sint infinita spatia: « Et tamen, inquit Augustinus, substan-

tiam Dei quam fatemur ubique totam, non possunt dicere absentem esse a tantis locorum spatiis, atque exiguo loco, in quo mundus est occupatus. » Fatetur ergo Augustinus, quod etiam in illis spatiis, et non solum in mundo divina substantia est præsens. Item in epistola. LVII ad Dardanum: « Ubique, inquit, est Deus, et in se ipso: ubique, scilicet quia nusquam est absens: in se ipso autem, quia non continetur ab eis, nam spatia locorum tolle corporibus, et nusquam erunt, et quia nusquam erunt, nec erunt. » Ubi Augustinus solum requirit duas condiciones, ut Deus sit ubique, scilicet, ut nusquam sit absens, et ut sit in se ipso; istæ autem salvantur etiam respectu spatii imaginarii, quia alias non verificaretur, quod nusquam est absens, si esset absens ab illis spatiis, non enim potest dici, quod nusquam sit corpus aliquid si extra se non sit, ergo ut Deus nusquam sit absens, etiam extra cælum est.

XVI. Confirmatur secundo, nam D. Thomas, quodlib. XII, art. I, dicit: « Quod distinguitur modus, quo Deus est ubique et quo aliæ res, quibus aliquo modo competit esse ubique, nam hujusmodi dicuntur esse ubique, quia sunt tantum in his, quæ sunt, et quæ præsentia sunt: Deus autem non solum in his quæ sunt, sed etiam in imaginatis, et in præteritis, et in futuris. » Item in I ad Annibaldum, dist. XXXVII, q. II, art. II: « Hoc, inquit, adverbium ubique, refertur ad omnem imaginabilem locum. » Et subdit: « Illud proprie dicitur esse ubique absque quo nullus locus imaginari potest, » ergo secundum D. Thomam Deus est in locis imaginariis, cum simpliciter sit ubique.

XVII. Ad principale argumentum respondetur illas auctoritates intelligi juxta id quod diximus ex Augus-

tino, lib. de natura boni. c. III: « Quod Deus est supra mundum, et extra mundum non spatiis locorum, sed ineffabili, et singulari potentia, » quia videlicet sua potentia activa continet totum mundum, et est supra illum, quia portat omnia verbo virtutis suæ, et ita etiam intelligitur, quod est supra totum mundum dissimilitudine naturæ, et per excellentiam illius, non distantia spatii, ut D. Thomas significat hic articulo secundo ad primum, et tertium. Vel secundo, Deus est supra omnem creaturam, et supra mundum, quia non limitatur ad existendum in illo, nec dependet ab illo, et potest esse in omnibus spatiis extra mundum mediate, quatenus potest esse in creaturis, quas in illis spatiis potest producere; atque ita extra modum est in se ipso, virtualiter autem, et mediate in omnibus spatiis, quatenus habet virtutem ad producendum creaturas in quacumque parte spatii.

XVIII. Ad primam confirmationem respondetur illum primum locum Augustini in omni rigore intelligi, quod Deus non est absens a tantis locorum spatiis quantum ad virtutem qua potest in illis producere creaturas, non quantum ad actualem assistentiam, et immediatam in illis, sicut ipse Augustinus dicit, quod est supra creaturam non spatiis locorum, sed ineffabili potentia, sufficit enim Deum esse in se ipso, et cum tali virtute, ut in toto illo spatio possit producere creaturas quas velit, etiamsi actu non impleat illa spatia immediate illis assistendo.

XIX. In secundo autem loco, quando Augustinus dicit Deum nusquam esse absentem, et in se ipso, aperte loquitur de existentia, qua formaliter est in se, et virtualiter nusquam abest, quia ubique potest sua virtute producere creaturas, non vero

requiritur quod actu immediate assistat illis spatiis. Cum autem infert, quod si corpora nusquam erunt, neque, si tollantur ab illis spatia locorum, optime infert, quia corpora secundum suam naturam non possunt esse, nisi actu replendo spatium, vel reale, vel imaginarium si in illo ponantur, eo quod quantitas corporea habet de se proportionem ad replendum actu spatium, spiritualis autem virtus non proportionatur immediate ad replendum spatium, sed mediante aliquo corpore in quo operatur. Unde si Deus nusquam esset neque formaliter, neque virtualiter, absolute non esset. Si tamen non esset actu in spatio, esset tamen virtualiter, quia existens in se habet potentiam ad essendum, in aliis adhuc esset.

XX. Ad secundam confirmationem respondetur primum locum D. Thomæ intelligi, quod Deus in imaginariis, et præteritis, et futuris non actu, sed virtute, constat enim, quod in præteritis, et futuris rebus Deus non est actu, ergo si eodem modo dicit D. Thomas esse in locis imaginariis, clarum est non loqui de existentia actu, sed virtute. Ad secundum locum D. Thomæ dicitur D. Thomam non dicere, quod Deus est in quocumque loco imaginabili, sed quod absque eo nullus locus imaginari potest, id est, concipi, et cogitari, quasi dicat, non potest cogitari, quod ponatur aliquis locus verus, in quo Deus non sit actu, vel imaginarius, in quo non possit esse producendo ibi aliquid. Quod expressit ibi s. doctor dicens: « Neque esse possibile imaginari locum aliquem, ubi ipse non esset illo loco posito, » significans se loqui de loco posito, cum dicit illo loco posito.

XXI. Secundo, arguitur ex ratione, quia antecedenter ad contactum divinum, quo immutat creatu-